



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXXIII. De Deposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

CAPUT LXXXIII.

De Deposito.

1. *Quer.* Quid sit Depositum? *Resp.* Est contractus, quo sola rei custodia traditur. l. 1. ff. *Depositi*. Nicol. *dict.* tom. 1. lib. 3. tit. 15. num. 29.

2. *Quer.* Quotuplex sit Depositum? *Resp.* Est duplex. Judiciale, & Privatum. Judiciale verò subdividitur; aliud enim est Activum, quando debitor offert pecuniam creditori, & eo recusante accipere, illam deponit in loco publico ex Judicis decreto. l. *Acceptatam* 19. C. de *Usurariis*; & hoc depositum liberat debitorem à casu fortuito, & ab omni interesse; nam habet vim liberationis, & solutionis. l. *Obligatio* 9. C. de *solut.* Rota coram Ludovis. *decis.* 146. Aliud Judiciale depositum vocatur Passivum, dum res litigiosa deponitur apud sequestrarium, donec ex causæ cognitione constet, cui debeatur; & interim neque Actor, neque Reus possidet. l. *Propria*, 6. ff. *Depositi*. l. *Licet*, 17. ff. *eod.* Item Judiciale depositum dividitur, quòd aliud sit voluntarium, dum partes concorditer rem litigiosam sub sequestro deponunt; & aliud necessarium, quando Judex decernit, rem sequestrandam; & hoc jubere non debet nisi ex justa causa, quia nemo invitus debet sua possessione privari. l. *Unica*. C. de *Prohibita sequestrat. pecun.* Nicol. ubi supra num. 31.

3. *Quer.* Quæ sit justa causa decernendi sequestrum? *Resp.* Timor dilapidationis, vel si debitor vergit ad inopiam. l. *Si cum dotem*, 22. §. *Si autem*. ff. *Solaz. Matr.*

4. *Quer.* Quando sit revocandum sequestrum Judiciale? *Resp.* Ubi datur cautio de solvendo in casu succumbentis, præterquam in lite super beneficiis; nam tunc sequestrum debet stare usque ad finem litis. Orthobon. *decis.* 69.

5. *Quer.* Quale sit Depositum Privatum? *Resp.* Quando quis sponte rem suam deponit apud aliquem, & tria requiruntur, ut sit depositum. *Primò*, ut eadem res restitatur; aliàs esset mutuum, & periret damno depositarii. *Secundò*, ut causa custodiæ tradatur; aliàs esset commodatum. *Tertiò*, ut sit gratuitum; aliter esset locatio, & conductio. l. 1. §. *Si vestimenta*, ff. *Depositi*. Rota coram Ludovis. *dict.* *decis.* 146 num. 16.

6. *Quer.* An depositarius possit uti re deposita? *Resp.* Negative, & si utatur, furtum committit. l. *Si sacculum*, 29. ff. *Depositi*. l. 2. C. *eod.*

7. *Quer.* An depositarius possit retinere sibi depositum titulo compensationis alicujus sui crediti? *Resp.* Negative, adeò, ut etiam latroni spolia deposita sunt restituenda. l. 1. §. *Si prado*. ff. *Depositi*. Secus tamen esset in foro conscientie ex Diana apud Nicolium d. lib. 3. tit. 15. sub num. 33.

8. *Quer.* De qua culpa teneatur depositarius? *Resp.* De culpa lata, quæ æquiparatur dolo. l. 1. §. *Quoniam*. ff. *Depositi*. Nicol. d. tit. 15. num. 34.

9. *Quer.* An depositarius teneatur aliquando de levissima culpa? *Resp.* Affirmative. 1. Quando se obtulit deposito. l. 1. §. *Sapè evenit*, ff. *Depositi*. 2. Quando fuit in mora restituendi. Imò tenetur de casu fortuito, si se obligavit ad illum, vel culpa præcessit casum. Ludovis. *dict.* *decis.* 146.

10. *Quer.* An Sacerdotes Sæculares possint esse depositarii pecuniæ, vel ararii publici? *Resp.* Affirmative, dummodo non faciant officium exactoris. Sac. Congregat. apud Nicolium ubi supra num. 35.

11. *Quer.* An Moniales possint recipere in depositum bona secularia? *Resp.* Affirmative, de licentia tamen Episcopi. Sac. Congregat. apud Nicolium ubi supra num. 35.

12. *Quer.* An Capuccini possint tenere in depositum pecuniam alicujus personæ? *Resp.* Negative, quia eis prohibitus est contractus pecuniæ non solum moralis, sed etiam phycus. cap. *Exiit*, qui *seminat*. §. *Ad majorem autem*, de *Verbor. Signific.* m. 6. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 35.

13. *Quer.* Ad quid teneatur depositarius recusans solvere depositum? *Resp.* Si negavit depositum, & convincatur de eo, condemnatur in duplum. l. 1. §. 1. & §. *Que depositus*, & §. *Item Pomponius* ff. *Depositi*. Et ulterius efficitur infamis. l. *Qui Depositum*, 10. C. *Depositi*.

14. *Quer.* An depositarius possit aliquid prætere pro custodia depositi? *Resp.* Negative, nisi expensas necessarias, quas fecisset pro conservatione rei depositæ. l. *Actio*, 23. ff. *Depositi*. Leotard, de *Usur. quasi*. 37.

CAPUT LXXXIV.

De Solutione Indebiti.

1. *Quer.* Quid sit solutio indebiti? *Resp.* Esse, quando alicui per errorem solvitur tanquam debitum, quod re vera non debetur. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 14.

2. *Quer.* Quot modis aliquid dicatur indebitum? *Resp.* Quatuor modis.

Primò, quod est indebitum civiliter, sed debitum naturaliter; ut ex nudo pacto, vel testamento minus solemni. Et tunc non datur repetitio, nisi solvens esset pupillus, aut miles, aut minor, aut rusticus, aut alia persona, quam Juris ignorantia excuset. l. *Cum quis* 10. & ibi *Gloss.* C. de *juris*, & facti ignorant.

Secundò, quod est indebitum naturaliter, sed debitum civiliter; ut in debito chirographi cum spe futuræ remunerationis facti, & in quocunque alio debito post pactum de non petendo. Et hoc indebitum, si solvatur, sive per errorem juris, sive per errorem facti, semper repeti potest. *Gloss.* & DD. in l. 1. ff. de *Condit. indebiti*.

Tertiò, quod est indebitum naturaliter, & civiliter, ut si solvam tibi decem, credens, Patrem meum illa tibi debuisse, quod cum